

**De haemorrhagicis : dissertatio inauguralis quam consensu et auctoritate gratiosi medicorum ordinis in Literarum Universitate Ruperto-Carola / scripsit F.M. Mutzenbecher.**

### **Contributors**

Mutzenbecher, F.M.  
Lossen, Hermann Friedrich, 1842-  
Bulloch, William, 1868-1941  
Royal College of Surgeons of England

### **Publication/Creation**

Heidelbergae : Typis Caroli Groos, 1841.

### **Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/qz3wsz86>

### **Provider**

Royal College of Surgeons

### **License and attribution**

This material has been provided by This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

**wellcome  
collection**

Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
[E\\_library@wellcomecollection.org](mailto:E_library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

Brid in.

10.





This copy belonged to  
Professor Hermann Lössen of  
Heidelberg who described the  
Subsequent history of the Maimel  
family down to 1905.

See Bulloch & Fildes Monographs  
on Haemophilia. Treasury of  
Human Inheritance. 1911.  
parts V + VI. p. 267.

WBulloch  
10.V. 1912





The London Hospital Medical College,

WILLIAM WRIGHT,  
M.B., D.Sc., F.R.C.S.  
*Dean.*

TELEPHONE NUMBER  
4466 AVENUE.

(University of London.)

Turner St. Mile End.

London. 10. V 1917  
E.

Dear Sir

Will you please accept  
Enclosed for the Royal  
College of Surgeons Library  
as you have not got  
it. It is a very Scarce  
inaugural dissertation.

Haemophilia and is  
of particular interest  
as containing the most  
complete account of  
various members of  
the Mampel family  
the best known family  
afflicted with Haemophilia.

I am

Yours faithfully  
William Bulloch





**DE**  
**HAEMORRHAGICIS.**

---

**DISSERTATIO INAUGURALIS**  
**QUAM**  
**CONSENSU ET AUCTORITATE**  
**GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS**  
**IN**  
**LITERARUM UNIVERSITATE**  
**RUPERTO-CAROLA**

**SCRIPSIT**

**F. M. MUTZENBECHER,**

**HAMBURGENSIS.**

**MEDICINAE, CHIRURGIAE ET ARTIS OBSTETRICIAE DOCTOR.**



---

**HEIDELBERGAE MDCCCXLI.**

**TYPIS CAROLI GROOS.**

Digitized by the Internet Archive  
in 2015

<https://archive.org/details/b22437022>



## **Praefatio.**

---


**H**ereditaria ad letales haemorrhagias proclivitas recentioribus temporibus magis magisque medicorum studium et diligentiam incitavit. Et revera hic quidem morbus inde a praeterito demum saeculo crebrius emergere coepit. Hujus mali de causis et curatione adhuc perpauca nobis nota sunt, perpauca adsunt facta quae conjecturarum faciendarum potestatem nobis concedant. Inter singulas familias earumque membra tanta exstat varietas, ut de peculiari dispositione, de constitutione et natura talium haemorrhagicorum adhuc saltem certum quiddam constitui non possit. In hoc libello etsi huic proposito respondere non possumus, tamen operae pretium esse putamus neque injucundum describenda haemorrhagicorum



familia adhuc ignota universalem mali hujus hereditarii historiam augere. Antea vero lectorum benevolentissimorum hoc in libello judicando indulgentiam invoco atque imploro.

Quod attinet ad nomen, quod hominibus, qui ad illum morbum inclinant, dandum sit, ut germanico et anglico verbo — Bluter, bleeders — penitus dispositionem ad haemorrhagiam enuntianti, quantum fieri potest, maxime adpropinquarem, verbum „Haemorrhagici“ delegi. Αἱμορροαγικός vero graece unice significat eum, qui proclivis est ad haemorrhagias. Morbus ipse fortasse optime nomine „morbus haematicus“ denotatur, quod quidem simul breve et perspicuum prohibet, ne cum aliis morbis confundatur.





**N**usquam in veterum Romanorum Graecorumque medicorum scriptis locum invenimus, quo hereditaria ad letales haemorrhagias dispositio commemoratur. Inde a fine demum saeculi proximi claris verbis morbi nostri haematici in quibusdam scriptis mentio facta est, uberiorque exinde haec materia tractari coepit, ita ut historiae hujus mali literariae initium non injuria illi tempori adscribi videatur. Attamen in priorum saeculorum scriptis unicus locus de haemorrhagiis letalibus legitur in *Testae* opere, quod inscribitur:

„*Delle malatti e del cuore.*“ (Vol. I. p. 126.)

in quo narratur Arabem quemdam medicum in itinere venisse in terram Alkiri vocatam, ubi in quibusdam hominibus tantam ad haemorrhagias proclivitatem observaverit, ut vel levissimam vulnerationem haemorrhagia continua sequeretur. Quae quidem excerpsimus ex:

„*Alsharavi liber theoreticae nec non practicae*“ latine redditus a medico PAULO RICIO et anno millesimo quingentesimo undevicesimo Augsburgiae, typis exscriptus. Quo in libro fol. CXLV caput

„*de passione fluxus sanguinei a quocunque locorum*“

reperitur, quo quidem de dispositione hereditaria non agitur, sed tamen infans masculus fuisse narratur.



Ab unica illa annotatione statim usque ad finem saeculi duodevicesimi transire cogimur. In Germania primam de haemorrhagicorum familia narrationem habemus in libello:

„*Medizinische Ephemeriden, Chemnitz 1793. p. 267.*“

Ineunte saeculo undevicesimo in variis Americae septemtrionalis regionibus a medicis ibi viventibus in ephemeridibus literariis similes casus observati accuratiusque descripti sunt. Quorum Philadelphinus OTTO primum in lucem edidit in:

„*Medical repository, conducted by MITSCHER and MILLER.*“ *Newyork 1803. Vol. VI.*

Idem narratur in „Göttinger gelehrte Anzeigen 1806. p. 1418. et ibidem 1809. p. 2046“; — in „MECKEL's deutschem Archiv für Physiol. Bd. II. p. 138“; — in „Dictionnaire des sciences medicales Vol. IV. p. 190.“

Doctores BUEL brevi post ejusdem morbi exemplum, quod ut antecedens in America septemtrionali occurrerat, narraverunt in:

„*Transactions of the physico-medical society of Newyork Bd. I. 1807.*“

germanice redditum in „Hamburger Magazin für ausländ. Liter. v. GUMPRECHT u. GERSON Bd. III, 449 invenitur.

Coxe anno MDCCCIV de nostra materia commutationem scripsit in

„*Philadelphical medical Museum Bd. I. St. 3. p. 286.*“

quam et in „Sammlung auserles. Abhandl. für prakt. Aerzte Bd. XXII. p. 272.“ in germanicam linguam conversam legimus.



Dr. HAY, Readingensis aliud exemplum tradidit in:

„*New England Journal*.“

quod breviter expositum est in: „*London medical repository* Bd. III. p. 69.“; in: „*HUFELAND'S Journal* Bd. XLI. Hft. 3. p. 124“; tum quoque in: *MECKEL'S deutsch. Arch. f. Phys.* Bd. II. p. 139.“ Quod exemplum, mirum, quantam cum hac nostra familia Kirchheimiensi similitudinem habeat.

In Germania deinde plures de hac diathesi haemorrhagica commentationes prodierunt, observationumque numerus celerrime auctus est. In omnibus fere patriae nostrae partibus singulae haemorrhagicorum familiae innotuerunt. Quarum primam quidem CONSBRUCH Bilefeldae viventem descripsit in:

„*HUFELAND'S Journal* Bd. XXX. St. 5. p. 116.“

Clarissimus NASSE familiam Guestphaliensem observavit, atque de similitudine hujus morbi cum Cyanosi significavit in:

„*REIL'S und AUTENRIETH'S Archiv für d. Physiol.* Bd. X. p. 266. 1811.“

Postea anno MDCCCXX auctor ille primus praestantissimam de duobus haemorrhagicorum familiis commentationem scripsit, quarum unam ipse in Guestphalia, alteram vero discipulus ejus KRIMER in Saxonia invenerat.

„*Archiv für mediz. Erfahrungen* v. HORN, NASSE u. HENKE“ 1820. Bd. I. May. Juny. p. 385.

Anno MDCCCXXIV auctore THEINHARDT libellus editus est:

„*ibidem* 1824. July-Decemb. p. 120.“



Hic primum diathesis illa in femina apparuit, cujus menstrua nimia semper exstiterunt, ita ut summa omnium virium debilitatio, non raro etiam vitae periculum consequeretur, neque tamen ita, ut e quocunque vulnere etiam casu aliquo illato letalis prodiret haemorrhagia.

Wirtembergensis haemorrhagicorum familia accuratissime quoque describitur ab ELSAESSER in :

„HUFELAND'S *Journal Bd. LVIII, St. 2. p. 89. 1824.*“

qui solus omnium, quos mihi quidem invenire contigit, sectionem accuratam fecit. Eventus vero nullo modo expectationi satisfecit.

„*Annales Clinicae Heidelbergenses 1827. Vol. III, p. 344.*“

de membro aliquo familiae Kirchheimiensis postea describendae expositionem habent.

Alias invenimus commentationes in

„*Zeitschrift für Natur u. Heilkunde 1828. Bd. V. Heft 2. p. 333.*“

et accuratiorem de familia Waldeckiensi auctore STEINMETZ in

„*RUST'S Magazin f. d. ges. Heilkunde Bd. XXVII Heft 2. p. 375. Berl. 1829.*“

Duae exstant monographiae, quas pluribus locis citatas tantum commemorare possum, quum in earum possessionem venire nondum mihi contigerit. Sunt autem

„*RIPP, Untersuchungen in Betreff der erblichen Anlage zu tödtlichen Blutungen. Frankf. 1825.*“

„*H. CPH. RIECKEN, neue Untersuchungen in Betreff der erblichen Neigung zu tödtl. Blutungen. Frankfurt a. M. 1829.*“



Dissertationes duae Virceburgenses, quas forte consecutus sum, tantum compilationes scriptorum prius editorum esse mihi videntur. In priori ne morbi quidem exemplum ab ipso auctore observatum libello fundamentum posuit. Inscribuntur autem:

„*Von der erblichen Anlage zu tödtlichen Blutungen. Inaugural-Abhandlg. v. Dr. JOH. KELLER. Würzburg 1824.*“

„*Ueber die Haemophilie oder die erbliche Anlage zu tödtlichen Blutungen. Inaugural-Abhandlg. v. Dr. FRIED. HOPFF. Würzburg. 1828.*“

Uberrimum materiae nostrae fontem habemus in.

„C. C. SCHMIDT. *Jahrbücher d. in - u. ausländ. gesamt. Medizin.*“

ubi complures non injucundae eaeque accuratiores commentationes inveniuntur.

„CASPER'S *Wochenschr. f. d. ges. Heilkunde. Feb. 1833. No. 7.* (SCHMIDT *Bd. II. p. 189. 1824.*)

„*Ibidem 1835. No. 33.* (SCHMIDT *Suppl. Bd. I. p. 231. 232. 1836.*)“

Commemoratur in priori familia ex oppidulo ASCHERSLEBEN auctore CRAMER, in altera observationem praestantem de femina haemorrhagica invenimus, quae vel minimo vulnere perniciosissimas passa est haemorrhagias, quin tamen diathesis illa nimis menstruis sese prodidisset. Quod quidem exemplum hujusmodi unicum est. Huic modo memorato oppositum exemplum legitur in „HORN'S Archiv 1824. Jul. Dec. p. 120“, idemque in familia nostra Kirchheimiensi.

Tum Dr. BICKING familiam ex oppidulo WANDERSLEBEN in vicinitate Gothae breviter descripsit.



„HUFELAND'S *Journal* 1837. St. 4. (SCHMIDT. Bd. XVII. p. 182. 1838.)

In

„*Würtemb. Correspondenzblatt*. Bd. V. No. 19.“  
(SCHMIDT Bd. XIV. p. 25. 1837.)

ab ESCHERICH Aschaffenburgensi Haemorrhagicus commemoratur, in quo affinitas cum cyanosi manifeste patuit. Foramen ovale cordis non plane clausum erat. Quo quidem in loco notandum est, arthriticos dolores nunquam in eo apparuisse, quos adhuc ubique observavimus.

In :

„*Allgem. medicin. Zeitung* 1837. No. 69.“  
(SCHMIDT Bd. XVII. p. 181. 1838.)

iterum in femina nimia menstrua videmus, quae jam anno aetatis suae octavo in ea emergerunt.

In Helvetia quoque in pago Grisonia familia haemorrhagicorum vixit. Dr. THORMANN de ea refert in:

„*Schweizer Zeitschrift* Bd. II. Hft. 3.“ (SCHMIDT Bd. XVII. p. 182.)

SCHOENLEIN vero in

„*Pathologia et therapia* Th. II. p. 54. 1839.“

materiam nostram satis accurate jam tractat, qui quidem primus ferri candentis applicationem commendat, quo remedio etiam in nostra familia magno successu usi sumus.

Denique observationem habemus in

„FRICKE u. OPPENHEIM *Zeitschrift f. d. ges. Medizin*.“ Bd. XII. Heft 3. p. 404. Hbg. 1840.

in quo symptomata morbi haematici statim post partum patefacta sunt. Infans sugillationibus valde laborabat



et paucis diebus post animam cum sanguine, pluribus e locis prodeunte, effudit.

---

In Britannia tales familiae itidem non raro existunt. Plura in commentariis anglicis exempla descripta sunt, quorum haec invenire mihi contigit. In :

„*Medico-chirurgical transactions. Vol. VIII. p. 224. Lond. 1817.*“

auctore RICH. BLAGDEN relatum invenimus, medicos, ut sanguinem e cavo dentis prodeuntem sisterent, Carotidem in puero ligasse. Facile intelligi potest, conatum illud periculosum haud contigisse; infans non ita multo post diem obiit, sanguine e novo vulnere se profundente.

THEODOR DAVIS in

„*Edinburgh med. and. surgical Journ. Apr. 1825.*“

(Archiv f. med. Erfahr. 1826. Jan.-Juny p. 560.  
Medizin.-chirurg. Zeitung 1826. Bd. 4. p. 22.)

ALEXANDER MURRAY

„*ibidem July 1826. Vol. XXVI. p. 33.*“

O'SBORNE in

„*Dublin Journ. of medic. science 1835. März p. 32*“

(Hamb. Magaz. f. ausl. Lit. v. JULIUS u. GERSON.  
B. XXX. p. 131.)

exempla hujus morbi nobis communicant. Aliud commemoratum repperi in

„*Medical and surgical Journ. No. 237. p. 428.*“

neque tamen in ejus notitiam venire potui.

---

In Franco-Gallia familiae haemorrhagicorum haud frequentes reperiuntur. ANDRAL primus eas observavit, de iisque disputavit in :



„*Annales du Cercle medical. 1822. July.*“

(Hamb. Magaz. f. ausl. Lit. v. GERSON u. JULIUS Bd. V. p. 166.)

Tum de nostra materia LAFARGUE tractatum cum mundo literario communicavit. Exemplum, quod describitur, accidit in Clinico celeberrimi Lisfranc. Confer

„*Journal hebdomadaire No. 34.*“

(SCHMIDT Jahrb. 1836 Bd. X. p. 51. Hamb. Zeitschr. f. d. ges. Med. v. DIEFFENB. FRICKE u. OPPENH. Bd. I. p. 109. 1836.)

In parte franco-gallica Helvetiae in vicinia urbis Neocomi, DU-BOIS in familiam incidit de eaque diligenter tractavit. Proclivitas ad morbum per matrem in Germania natam cum liberis communicata esse dicitur. Quae vero se nunquam autem in familia sua haemorrhagicos vidisse affirmavit. Confer

„*Gazette medicale de Paris. T. VI. p. 43. 1838.*“

Tandem familia in Ars sur Meurthe in vicinia urbis Nancy versatur, in qua itidem haemorrhagici inveniuntur. Commemorationem de illa praeceptoris doctissimo amplissimo CHELIUS debeo, cujus tantummodo sub auspiciis hunc tractatum peragere ausus sum.

Triginta plus exempla in hoc libello collegi, quorum plurima quidem accuratissime descripta procul dubio apud Germanos inveni. In Franco-Gallia adhuc hujus morbi hereditarii exempla rarissima reperiuntur.

Quam paucis verbis nunc descripturus sum familiam abhinc jam quindecim annis in Clinico Heidelbergensi observata est. Multa sunt, quae in illa eminent, nec dubito, quin accepta sit ejus commemoratio. —



**K**irchheimii, in oppidulo Badensi prope Heidelbergam sito, familia satis frequens habitat, cujus inter membra complures numerantur haemorrhagici. Veri haemorrhagici tantum viri sunt, est tamen inter eos femina, quae multis rebus proclivitatem ad illam peculiarem diathesin prodit, de qua quidem postea accuratius tractabimus. Ut vero clariorem de singulis familiae hujus commiserandae membris prospectum percipiamus, haud ineptum esse puto, totum stemma paucis hic absolvere.

PETER MAMPEL cum CATHARINA M. e gente Andreasia liberos undecim procreavit, e quibus commemoratione digni sunt hi:

MICHAEL. \*

CATHARINA.

ELISABETHA.

ADAM. \*

PETRUS. \*

DAVID.

ELISABETHA M. anno aetatis undevicesimo DEITSCHIO nupsit, et cum eo liberos duodecim procreavit:

CATHARINAM.

PHILIPPUM JACOBUM. \*

PETRUM. \*

CAROLUM. \*

BARBARAM.

EPHROSYNAM.

GEORGUM. \*

MARIAM.

CHRISTOPHORUM. \*

STEPHANUM II.

STEPHANUM I.

LISETTAM.

---

Haemorrhagicos, ut magis perspiciantur, asteriscis notavi.



CATHARINA M. quoque undeviginti annos nata  
WENDELINGIO nupsit, et cum eo liberos novem pro-  
creavit :

PHILIPPUM.

CATHARINAM.

PETRUM, \*

JOANNEM.

MARGARETHAM.

CHRISTOPHORUM. \*

CHRISTIANAM.

JACOBUM, \*

ELISABETHAM.

Anno millesimo octingentesimo vicesimo sexto pri-  
mum PETER M. cum filio suo MICHAELI in nosocomium in-  
gressus est, ut medicorum consilium cognosceret in cu-  
randis non minus illis sugillationibus, quam vehemen-  
tissimis doloribus rheumaticis. Diligentius quum de  
morbo ex illo quaereremus, pater nobis diathesin, de  
qua agitur, primum in liberis suis apparuisse narravit,  
prius vero numquam neque in ipsius, neque in uxoris  
familia hujusmodi haemorrhagiam accidisse, quantum  
saltem majorum suorum ordinem in memoriam sibi re-  
vocare possint. —

Ex iisdem parentibus nati fratres et sorores habitu  
forti ac valido semper optima valetudine fruebantur,  
neque unquam se arthritide affectos esse conquesti  
sunt. In filio MICHAEL jam supra memorato nono ae-  
tatis suae mense subito mira illa symptomata apparue-  
runt, quae haemorrhagicum illum denotaverunt. Inde  
ab illo tempore petechiis illis majoribusque sugillatio-  
nibus laboravit, quae variis in corporis locis, praeser-  
tim vero in brachio et femore nulla causa externa ex-  
istente, plerumque per noctem apparuerunt, ita quidem,  
ut mater saepius illum vespertino tempore nullum ha-  
rum macularum vestigium in eo animadvertens in lec-  
tum imponeret, postero vero mane illas numerosissimas



inveniret. Ter quoque epistaxis, quae in eo, sicuti in omnibus fere haemorrhagicis, qui adhuc enotescebant, sponte nascuntur, ita vehemens fuit, ut eum ad summum debilitatum parentes mortuum putarent. Alio tempore sanguis illi ita vehementer e gingiva idem sponte profluit, ut sisti non posset, puerque ad statum jam descriptum perveniret. E minimo quovis vulnere sanguinis profluvium ita vehementer erupit ut plura mantilia, in quibus manus vulnerata involvebatur, brevissimo tempore sanguine penetrarentur.

Anno aetatis suae octavo primum quae haemorrhagicum saepissime designant vestigia rheumatismi et arthritidis sensit. In minima frigoris injuria arrepto tumores articulorum praesertim in genu apparuerunt, qui nullo certo ordine vagi hic illic sedem ceperunt. Qui quidem dolores nunquam plane evanescebant tempore vero autumnali ac verno multo vehementius ingravescere solebant, haemorrhagia vero vel sponte orta, vel parva vulneratione fortuita adducta statim remittebant. Anni temporibus supra commemoratis proclivitas ad haemorrhagias maxime praevaluit. Mirandum tamen, quam celeriter ille e talibus haemorrhagiis periculosissimis vires suas recuperaverit, plerumque enim post octo vel decem dies illae ita restitutae erant, ut negotia sua recipere posset.

Valetudo pueri vulgo bona quidem erat corporisque functiones pulchre processerunt. Decem hebdomadas, anteaquam primo in nosocomium nostrum pervenit, uxorem duxerat. Tum vero viginti septem annos natus erat, valetudine incommoda esse videbatur, forma parum firma, capillis subfuscis, oculis claris, subcanis,



colorque cutis faciei, quem pallidum saepius autores in haemorrhagicis se invenisse narrant, venisque perluculentibus praeditum, fuscior erat. Causa, ob quam consilium in Clinico peteret, tumor oedematodes manus et antibrachii fuit, simul alii tumores a cubitu usque ad humerum procurrebant, sanguine extravasato effecti. Cutis in iis colore fuit flavo-viridi. Aegrotus causam ejus denotare non potuit: per noctem enim ortus erat. Remediis discutientibus adhibitis, brachioque fascia orbiculata (Zirkelbinde) involuto, tumores sugillationesque paullo post evanuerunt. Tum quoque aegroto usus remediorum tonicorum cum acidis commendatus est corporisque lavationes frigidae.

Aegrotus tum subinde in nosocomium pervenit, semperque se bona valetudine utentem professus est. Nunc vero annum quadragesimum secundum implevit, bonaque utitur valetudine, artemque suam ephippiarum tractare potest. Sermonibus delectat, magnamque animi alacritatem ingenii acumen in illis prodat, qua re auctoritatem sibi quamdam inter notos et amicos conciliavit, praeterea ad omnes, quae manu fiunt, artes calliditate praeditus est. Jam supra narravimus eum abhinc quattuordecim annos uxorem duxisse. Cum illa vero quinque liberos procreavit, (pueros duos, puellas tres) qui omnes quidem bona ac forti valetudine fruantes minime in diathesi haemorrhagica inclinant.

Memoratu dignum peculiarem illam diathesin aetate quum provehitur, magis magisque in eo evanescere. Anno aetatis suae tricesimo septimo hirudines in locos, qui dolores ei commovebant, nullo gravioris haemor-



rhagiae timore, imponere potuit. Vulnera illa tam celeriter, quam et in ceteris hominibus, consanescabant. Dolendum sane eodem gradu arthritidem invaluisse, quo diathesis haemorrhagica evanuerit. Dextrum ejus brachium praesertim illo malo correptum et adhuc valde contractum invenitur, qua tamen re in opificiis suis, ut ipse enuntiavit, non perturbatur. Abhinc annos tres ad mala ejus numerosa et haemorrhoides accesserunt, quae tamen arthritidem ei multum levabant. Interdum quum haemorrhagiae sponte in ore nascuntur, haud magni ab illo aestimantur, non raro et quotidie illae e gingiva proveniunt. Incipiunt vero, quum continuo loquitur, brevique postquam quietus consistit, cessant. Color sanguinis haud peculiaris est. Quum vero haemorrhagiae illae forte vehementiores fiunt, sufficit stuppae penicillum loco, e quo sanguis profluit, adprimere. Quo quidem remedio nunquam inefficaciter usus est, semper sanguinis profluvium stetit. Aegrotus noster, ut supra narravimus, inde a nono aetatis suae mense diathesin illam primum prodidit. Mater ejus, mulier hilaris ac garrula, pro certo haec mihi communicavit:

Puer primo tempore optima fruebatur valetudine, forma et habitu strenuus atque integer, neque unquam morbo aliquo afficiebatur. Ipsa infanti mammam prae-buit. Tunc vero temporis bellum patriae illatum hunc in locum transferebatur, militesque complures in praesidiis apud eos erant. Domo quondam quum longius procederet, miles quidam eam aggrediebatur, ei vim afferre ejusque pudicitiam violare studebat. Vix et aegre periculum effugit et domi in tutum recessit. Qua



re adeo commota ac perterrita fuit, ut statim anima relinqueretur. Postea e syncope excitata, re illa tamen maxime affecta puero MICHAEL mammam praebuit. Inde ab illo ipso tempore puer colorem hilarem amisit tumque primo peculiare illae in cute maculae per noctem ortae inveniebantur. Brevi post idem sponte et e minima qualibet vulneratione tantam sanguinis copiam effudit, ut de vita ejus saepe metuerent parentes.

Mater ipsa haec mihi narravit atque pro certo affirmabat, ab eo ipso momento symptomata haematici morbi in eo apparuisse. Quae quidem relatio quatenus et an omnino consideratione digna sit, id viris doctioribus et rei peritioribus discernendum concedo, commemorationem tamen facti haud negligendam putavi. Exemplum illud unicum fuerit, in quo causam afferre liceret, in omnibus vero adhuc notis, quae diligentissime comparavi, nil simile invenitur. — MICHAEL ille tres habet fratres PETRUM, ADAMUM et DAVIDEM, quorum primus epistaxi mortuus est; DAVIDES vero bona valetudine fruitur, corporeque et sano et valido utitur.

ADAMUS multis ante annis, quum truncum arboris supersilire vellet, pede truncum offendente, retro in humum praecipitatus est. Quod die Lunae accidit. Qui quidem statim de satis vehementibus doloribus non minus dorsi quam artuum conquestus est, sed die Jovis tantum tempore matutino vehementissimi facti sunt. Significavit eos in pectore sedem habere eumque esse sibi sensum, quasi vase ibi discerpto. In dextro pectore atque humero tumores reperti sunt vehementesque ecchymoses sanguineae, qui loci, quum comprimerentur, non paucos aegroto dolores movebant. Simul



crebro sitis atque vomitus sese ostendit. Quae mala, licet quodcunque remedium in usum vocaretur, sine ulla remissione continuarunt, ita ut jam die Saturni tempore matutino aegrotus animam exhalaverit.

Die Lunae insequente sectio corporis mortui instituta est: in complurimis locis corporis maculae caeruleae repertae sunt, vehementibus sugillationibus adductae. Quae maximae fuerunt sub scapula atque exinde per totum pectus permanarunt. Cute ablata ingens sanguinis coacervatio in tela cellulosa reperta est, idque tantum in modum, ut omnino fere sanguine atro atque coagulato deducta esset, idem intra atque sub musculis. Praeter haec vero in toto corpore maxima sanguinis solitudo observata est ita prorsus, ut alias in amissionibus sanguinis fit. Et sane fuit haec amissio, in qua tamen id observatione dignissimum, quod aegrotus ne minimam quidem guttam ex quocunque vulnere amiserit, sed tota sanguinis copia in telam cellulosam sese effuderit, quae erat inter musculos atque sub cute. Quae res minime negligenda mihi videtur, certe alibi in iis saltem familiis haemorrhagicorum, quae adhuc innotuerunt, non reperitur. Merito autem et jure hanc amissionem sanguinis *subcutaneam* appellandam esse censeo. Praeter ea, quae jam relata sunt, pulmonum quoque obductio sanguinisque effusio in ipsum parenchyma inventa est. In hoc quoque homine inde a primis annis semper arthritis observata est, in articulo laevi genu etiam ankylosis sese efformaverat. Vasa sanguifera, quod quidem ad firmitatem atque porositatem attinet, quantum equidem comperire poteram, legitimum statum habebant.



Sororum septem MICHAELIS duae tantum adhuc vivunt. In mortuis nunquam diathesis illa observata est. Priores ELISABETHA et CATHARINA observatione dignissimae sunt: in earum liberis iterum haemorrhagicos reperimus, qui tamen ad matrum instar maxime differunt et habitu et corporis constitutione et animi indole.

ELISABETHA, DEITSCHIO nupta, quadraginta annos nata, forma exigua tamen forti ac compacta est, capillis nigris, oculis griseis; color cutis faciei fuscior, constitutio atrabilaris, ingenium phlegmaticum. Agitatio motusque corporis tarda ac torpida, ad sermonem incitare morosam aegre potui, ut ad ea, quae ex ipsa quaesita erant, plane et accurate responderet. Morbis peculiaribus numquam laborabat, neque unquam in illa diatheseos nostrae haemorrhagicae symptomata observabantur. Menstrua anno jam decimo quarto apparuerunt, quae tamen numquam neque vehementiora fuerunt neque solito longius permanserunt. Maritus eadem praeditus est natura, imo torpidiore ac tardiore, quocum duodecim liberos jam supra memoratos procreavit. Duo tantum sunt inter pueros, qui quidem diatheseos haemorrhagicae signa numquam prodiderunt. Sed antea PETRI MAMPEL, ut natu minoris filiae memoratio fiat, relinquitur.

CATHARINA, UXOR WENDELINGII, triginta annos nata sorori natu majori quam maxime hac in re opposita est. Sermone jucunda atque hilaris, cuivis homini grata et officiosa, ingenio alacri, acute, celeriter atque aperte respondebat ad ea, quae interrogaveram. Ceterum animus simplex est, erga liberos materni amoris pietate excellit. Et haec femina semper bona fruebatur



valetudine functionesque corporis pulchre processerunt, concoctio facilis, appetitus integer, exoneratione alvi utebatur legitima. Forma gracilis, color cutis minus fuscus, quam in sorore ELISABETHA, coma flava, oculi caesii, ungues legitimi neque in cute venae conspiciuntur translucetes. Arthritide vel rheumatismo numquam laboravit. Exiguus e vulnerationibus sanguinis majorem copiam non effudit quam alii homines, neque unquam sponte oriebatur haemorrhagia e naribus vel e gingiva, nec peculiares in illa apparebant sugillationes. Attamen quamvis parvam ad diathesin haemorrhagicam proclivitatem prodit. Sicuti soror et illa anno quarto decimo primum menstrua habebat. Atque initio quidem nec modum nec tempus excedebant, postea vero eadem vehementissima per hebdomadem continuam permanebant, qua re facile fingi potest, quantum mulier debilitata fuerit; imo interdum in lecto permanere coacta erat. Rarissimum et illud alterum in hac femina, quod apud nullam haemorrhagicorum familiam adhuc inveni, CATHARINAM WENDELING utrum gravidam nec ne semper menstrua sua legitima habuisse. Interroganti mihi, an fortasse abortum quondam fecerit, partum sese semper legitimum tempus pertulisse eumque facile ac celeriter edidisse respondebat, neque unquam sanguinis profluvium nimium passam esse.

Coniugi peperit CATHARINA novem liberos (quinque pueros et quattuor puellas.). E puerorum numero unus tantum natus maximus excipitur, omnes vero, qui restant, morbo haematico laborant, et quidem multo majorem in modum, quam pueri ELISABETHÆ DEITSCH. Matris instar constitutio eorum magis arteriosa et ha-



bitu externo valde differunt a consobrinis, qui pro parte virili diathesin hereditate a matre traditam acceperunt.

Non alienum mihi a proposito meo videtur quaedam hic uberius de mulierum harum liberis exponere. Qui quidem, quamvis ex una eademque familia orti, mirum in modum inter se differunt; omnes vero plus minusve matres referunt. Partus in omnibus celeriter atque sine ulla mora absolvebatur; inde a primo tempore diathesis haemorrhagica hereditate acquisita in iis apparebat, subitoque per noctem in variis corporis locis praesertim eo, in quem incumbabant, caeruleae maculae inveniebantur, quae post aliquot tempus virides tum vero, quum evanescere coepissent, luridae et sub-rubicundae fiebant. Talem sugillationem si tetigeris, duritiem quamdam senseris. Magnitudine inter se maxime differunt, cum earum diameter modo duas, modo quattuor, modo sex lineas habeat vel paullo plures, neque raro accidit, ut omne latus membrorum ab illis occuparetur. Tum vero semper rigor quidam ac debilitas eas comitatur. Quattuor vel quinque diebus evanescunt recens ortis locum dantes. Tempore verno atque autumnali frequentissimae inveniuntur, quo quidem tempore et haemorrhagiae sponte nasci solent. In omnibus pueris, excepto natu majore, prodromi quidam ipsius morbi initio antecedunt, conqueruntur autem tum temporis de cephalalgia articulorumque doloribus auctis; facies et forma validissima, habitus alacer. Genas rubore suffusas ostendunt. Tum subito sanguinis profluvium sponte oritur, nisi illud vulnere fortuito compensetur, plurimum e naribus emanans et



quidem quovis tempore ab una tantum parte. Sanguinem vi profusam mater aqua glaciale intra trium quatuorve horarum spatium vulgo sistit; non ita multo post denuo profluvium incipit et aequis intervallis tali modo vel per sex dies procedit, donec pueri fere exsanguis in lecto jaceant. Facies eorum ad summum pallet, syncope syncopen sequitur, praesertim quum sese levare studeant. Quum usque ad hunc locum processerunt scilicet sanguinis copia ad minimum reducta est, epistaxis sponte sistitur. Per biduum liberorum alvus colore piceo constat. Tum vero pueri celerius vires recuperant; dolores arthritici, qui in omnibus circa annum aetatis quartum vel quintum inceperunt, talibus haemorrhagiis egregie diminuuntur. Dentitio molestiam nulli puerorum exhibuit morbisque infantum sic dictis omnino non, aut quam minime laborabant; appetitus, concoctio, alvi dejectio legitima erant. Ingenio haud excellebant, habitusque eorum externus majorem segnitiam ac torpiditatem prodidit. Plus minusve apud omnes temperamentum phlegmaticum ac constitutio atrabilaris praevaluit. Si discesseris a PETRO, eorum forma satis fortis ac compacta est, color cutis fuscior; coma et oculi fuscii, nec in iis venae translucens conspiciuntur. Maxime arthritidi subjecti erant. Minima frigoris injuria vel tempore humido dolores ingravescent ingressumque eorum, cum maxime in genu tumores arthritici inveniantur, tardum ac claudicantem efficiunt.

UXOR DEITSCHII ELISABETHA nunc temporis quadraginta annos nata in matrimonio annorum viginti unius duodecim procreavit liberos, e quibus sex tantum ad-



huc vivunt. Singuli secundum ordinem aetatis liberi hi sunt:

**CATHARINA D.**, nunc viginti annos nata, puella rustica, satis fortis sanguineque abundans, coma nigerri-  
ma, oculis fuscis, colore cutis fuscior, nullo morbo laboravit nec diathesin haemorrhagicam unquam prodidit. Menstrua ut in matre et matertera anno quarto decimo aetatis suae primum emulgebant, neque unquam nimia fuerunt.

**PETRUS**, annos undeviginti natus, morbo haematico laborat, corporis statura mediocri, quamvis forma imbecilliore tamen bona valetudine fruitur, si discesseris a diathesi illa haemorrhagica atque arthritica. Arthritis vero in illo ad summum pervenit, ubique in articulis tumores inveniuntur, quae saepius tantos movent dolores, ut aegrotus membris uti nequeat. Artem ephippiariam didicit, quem tamen quaestum nunquam continuo sed per intervalla tantum exercere potest. Saepius in Clinicum Heidelbergense pervenit, ut consiliis medicorum uteretur. Fomentationes e liquore Mindereri aqua diluto egregie dolores ei leniebant. Nunc jam diathesis haemorrhagica in eo maxime diminuitur. Nuper cum eum postremo viderem, se jam pluries hirudines sibi imposuisse narravit, nullo majore e vulneribus procedente sanguinis copia, si modo locus forti compressione aptus sit. Eodem modo et epistaxi rarissime corripitur. Prima ejus aetate omnia haematici morbi symptomata sese ostendebant, haemorrhagiae et sponte et vulnere ortae tam vehementes profundebantur ut saepissime mors ei immineret.

**BARBARA** paullo post partum diem obiit.



**GEORG**, idem haemorrhagicus, nunc duodecim annos natus arthritide valde laborat. Paulo anteaquam haec scribebam e naribus sanguinem effundere coepit. **Natrum sulfuricum**, **OTTONE** suasore, ei proposui, quod magnam mihi vim habere videtur, epistaxis enim brevi evanuit.

**CHRISTOPHORUS** anno aetatis sexto mortuus, idem haemorrhagicus doloribus arthriticis maxime cruciabatur. Balnea tumores ei leniebant, sed anno proximo e matris narratione convulsionibus vitam edidit.

**STEPHANUM** anno undecimo anima reliquit. Non erat ille haemorrhagicus sed saepius palpitatione cordis vexatus esse dicitur. Febrem scarlatinosa bene tulit, eam vero lapsus pilorum sequebatur, qui nonnisi anno post cessaret.

**PHILIPPUS JACOBUS** idem haemorrhagica diatesi laboravit; postquam per hebdomadem e faucibus sanguinem effuderat, obiit. In collo durum eumque magnum tumorem habuisse dicitur, qui in sectione e sanguine coagulato constantem sese praebuit.

**CAROLUS** hebdomade undecima post partum mortuus est. Sugillationes apud eum frequentissimae jamjam apparuerunt.

**EPHROSYNE** et soror **MARIA** bona valetudine fruuntur. Prior octo annos, altera quattuor nata est; utraque adhuc vivit.

**STEPHANUS II.** ad fratris ejusdem nominis instar morbo nostro haud laborat. Habitu et forma valida



praeditus a fratribus maxime differt. Coma ejus flava, oculi caesii sunt et cutis faciei pallescens ac tenera.

LISSETTA tandem paullo post partum diem obiit.

CATHARINA WENDELING conjugii decem annos nupta novem liberos procreavit (quinque pueros, quattuor puellas.), qui quam maxime differunt a liberis ELISABETHAE modo memoratis. Omnes vero, filio natu majore excepto, plus minusve flavicomi, cutem tenuem albam, oculos magnos atque lucidos obtutu alacri praeditos habent. Eorum natura in quavis re naturae matris respondet: alacres ingenio, vividi, garruli in cujusvis amorem sese insinuare student, neque tamen non facillime excitantur et irritantur. Quod quidem in puero natu minimo, quamquam parvus sit, prae omnibus observatur; pluries ira exacerbatum in sorores vehementissime irruentem, ac nisi ad nutum ejus et voluntatem omnia fierent, furore clamitantem videbam. In omnibus partus facillime et sine ulla mora absoluebatur, dentitio illis molestias non exhibuit, corporisque functiones pulchre processerunt; eorum constitutio magis ad arteriosam inclinat. Si in illis haemorrhagiae oriuntur vehementissimae fieri solent, remediisque stypticis fortissimis resistunt. Ferrum solum candens saepissime utilitatem iis praebuit.

Puer natu maximus PHILIPPUS nunc decem habet annos, neque unquam ulla in eo indicia et vestigia diatheseos haemorrhagicae exstabant. Habitu utitur forti ac valido neque ut fratres et sorores flavicomus, cute tenue albente praeditus est, sed fusci sunt ejus capilli atque etiam color cutis fuscior. Anteaquam mater conjugii nupta fuerit, ille natus esse dicitur.



**Puer secundus PETRUS** die tertio post partum mortuus est. An diathesis nostra in illo jam patefacta fuerit, haud comperire potui. Jam ante annos novem accidit.

**Sequuntur tres filiae CHRISTIANA, MARGARETHA, CATHARINA**, quarum prima primo aetatis anno obiit, altera quattuor, tertia vero tres annos natae optima valetudine fruuntur. **JOANNES** per undecim tantum dies vitam quasi delibavit, tamen in eo parentes saepissime sugillationes caeruleas sese percepisse dicunt.

**CHRISTOPHORUS**, idem haemorrhagicus, per biennium tantum vivebat; ex angina membranacea mortuus est.

**JACOBUS** nunc temporis duos annos natus prae omnibus haemorrhagicam prae se fert diathesin. Forma tenui ac gracili, flavicomus, pilis singulis tenuissimis, oculis caesiis ac fulgentibus, cute albente ac molli, venis tamen non translucentibus. Quum diutius haemorrhagiae non ortae essent, genae rubore fusciori suffundebantur. Corporis organa valida sunt, venter solito paullo magis inflatus invenitur. Infans magnum ostendit vigorem, jamque hoc tempore videre licet, quanto ceteros ingenii alacritate superet. Ludentis nisi voluntati parent sorores, vehementissime irascitur, nihilominus tamen hilaris ac blandus in cujusvis amorem libenter sese insinuare studet. Decem ante menses in Clinico chirurgico auxilium ejus causa mater petebat. Die septimo mensis Aprilis subito nulla alia causa vel vulnere fortuito antecedente, parvus locus in frenulo labii superioris non major acu puncto sanguinem effundere incepit. Parvis intervallis exceptis cruor, attamen cursu exiguo, continuo fluebat, stillando (Sickern)



haud dissimile. Die demum tertio decimo mater cum infanti in nosocomium pervenit; facie pallida atque paene exsanguis puerulus apparebat, nec nisi aegre corpus movere potuit, tamen acrius clamitabat. A parentibus quum jam fomentationes glaciales domi impositae essent, pulverem stypticum ex alumine, colophonio et gummi mimosae loco sanguinem effundenti conspergebamus, sed male successit conatus, dimidiam enim post horam haemorrhagia iterum incepit. Ferrum candens quum semper hisce in rebus prosperum eventum habuisset, locus ferro adurebatur, quo facto haemorrhagia statim sistebatur. Abhinc horas circiter quinque, tempore postmeridiano, puerum Kirchheimii visebam, ut si necesse fuerit iterum ferrum candens adhiberem. Quum jam per horam continuam sanguis denuo flueret, statim labium adurebam, itaque haemorrhagiam sistebam. Usque ad meridiem diei quarti decimi crusta vulnus clausum tenebat, tum vero continuo sugendo puer eam relaxaverat, pristinamque haemorrhagiam hoc modo rursus revocaverat. Parentes, quum in illa sistenda se ipsos successuros esse per aliquod tempus speravissent, sanguinis profluvio per noctem magis magisque aucto, die quinto decimo iterum Heidelbergam nuntium miserunt. Duobus collegis comitantibus, statim Kirchheimium vehebar, quo loco infantem corporis mortui instar inveniebamus; pallor ad summum pervenerat, labia subcaerulea, cutis frigida, pulsus non amplius sentiri poterat, syncope syncopen sequebatur. Licet tantam sanguinis jacturam passus esset puer, tamen sanguis quamvis aquosus ac rubescens tantum optime coagulabat: ante omnia vero




crusta mihi a vulnere amovenda erat, priusquam ad locum ipsum, e quo sanguis effundebatur, pervenire possem. Tertio tempore ferrum candens idque graviter adhibebam, quo facto haemorrhagia sistebatur, atque satis opportune non rediit. Priusquam infantem relinquerem decoctum Chinae cum elixirio acido Halleri ei proponebam; die proximo melius sese habebat, cibi-que jam appetentiam prodidit. Die secundo mensis Maii infans adhuc debilis quidem erat, tamen quodvis vitae periculum effugerat.

Filia denique natu minima ELISABETHA nunc temporis novem menses nata minus commoda valetudine utitur, atrophiaeque infantum laborare mihi videtur.

---





*M*orbus haematicus tam distincta, quam peculiaria prae se fert symptomata, ut jure meritoque morbum sui generis designare possimus. Sunt tamen autores, qui eum cyanoseos tantum graviores speciem <sup>1)</sup> vel certe ejus arcta conjunctione teneri <sup>2)</sup> affirmant. Quae sententia unico illo exemplo quod ab ESCHERICHIO doctore descriptum invenimus <sup>3)</sup>, defenditur, in quo foramen ovale cordis non clausum fuisse narratur. Omnia vero quae supersunt symptomata, praesertim color cutis caeruleus, corporis extremitates superiores longissimae, calor vitalis diminutus apud haemorrhagicos adhuc non inveniebantur.

Difficillimum sane, quae omnibus haemorrhagicis apta sit, imaginem ad verum pictam effingere. Maxime, quae de habitu externo, de constitutione, de moribus, de ingenio narrantur, inter se differunt. A nonnullis cutis colorem albentem ac mollem, per quam venae translucere, simul comam pulchram et fuscam eos

---

1) REIL'S u. AUTENRIETHS Archiv. Bd. X. p. 266.

2) SCHÖNLEIN allg. u. spec. Path. u. Therap. 1839. Th. II. p. 54.

3) Würtemb. Correspondenzblatt. Bd. V. No. 19.



habere narratur <sup>1)</sup>; **CONSRUCH** oculis peculiarem in modum fulgentibus praeditos esse affirmat constitutioneque atrabilari <sup>2)</sup>, **OTTO** corporis formam fortem et validam praedicat <sup>3)</sup>, uterque **BUEL** <sup>4)</sup> contrarium refert: haemorrhagicos suos facie pallidos corporisque statura debili fuisse.

Non injuria duas haemorrhagicorum classes proponere ausim, in altera comam plus minusve flavam, oculos claros, cutem albentem ac mollem, corporis formam teneram, temperamentum alacre, constitutionem arteriosam ingeniumque maxime excultum invenimus. Quae jam et **ELSAESSER** <sup>5)</sup> et **DU-BOIS** <sup>6)</sup> in haemorrhagicis sese animadvertisse narrant. — Altera classis constitutionem atrabilem, colorem cutis fusciolem, ingenium minus alacre, temperamentum phlegmaticum prae se ferunt. Omnibus torpiditas quaedam denegari non potest. — Qui ad priorem pertinent classem haemorrhagiis multo periculosioribus subjecti sunt. Analogiam in vulgari vita invenies: semper enim homines flavicomi cuteque albente ac molli praediti ad haemorrhagias majorem ostendunt proclivitatem, quam qui capillos nigros cutisque colorem fusciolem habent. Illud et apud nostram familiam Kirchheimiensem comprobatur: **DEITSCHLÆ** liberi minus, quam **WENDELINGLÆ** ad hoc malum inclinant. Quae ultima priori classi ad-

---

1) Medizin. Ephemeriden, Chemnitz 1793. p. 267.

2) **HUFELAND** Journal. XXX. St. 5. p. 16.

3) Medical repository. Newyork. Vol. IV.

4) Transactions of the physico. medical society. Newyork. Bd. I.

5) **HUFELAND'S** Journal. LVIII. St. 2. p. 89.

6) Gazette medicale Tom. VI. No. 3. p. 43.



scripta in menstruis magnam prae se fert proclivitatem ad morbum haematicum, DEITSCHIA vero soror ejus natu major nunquam iis abundabat vel longius ea retinebat.

*Quod autem attinet ad ipsas haemorrhagias*, illas sponte aut parvo vulnere adductas apparere satis notum est. Priores praesertim vere vel autumnio conspiciuntur <sup>1)</sup>, et interdum prodromis ad plethoram referendis <sup>2)</sup> denuntiantur. Vertigine aegroti corripuntur, eorum facies turgida, pulsus fortis ac frequens invenitur non raro et hilaritate insolita tum temporis fruuntur. Interdum de cordis palpitationibus, ut paucis dicam, de erethismo systematis vasorum queruntur, arthritis, qua plurimi laborant, augetur, ac non raro peculiare illae maculae caeruleae, quo tempus haemorrhagiae appropinquat, quae e sugillatione sanguinis sub cute pendent, per noctem praesertim crebriores apparent. Tum vero subito sanguinis profluvium e corporis locis maxime diversis emittitur, plerumque vero e naribus vel e gingiva rarius ex alia capitis parte e. g. e sincipite, tum vero etiam e digitis extremis <sup>3)</sup> e pulmonibus, e renibus, e canale cibario. Membrae mucosae praecipue ad secretionem cruentam inclinant. Sanguis haud rapido cursu emittitur, sed tarde erumpit sicuti e spongia; aliquot horas crebro intermittit, et tum denuo effunditur, donec diebus octo vel decem praeteritis sanguinis copia ad minimum reducta sit.

---

1) Allgem. mediz. Zeitung 1837. No. 69. u. HUFELAND'S Journal Bd. XXX. St. 5. p. 116.

2) Edinburgh med. and surgical Journ. 1825. April.

3) Medical repository. Newyork, Vol. VI.



Hic aut aegrotus diem obit, aut haemorrhagia sponte sistitur, viresque lapsae paullatim attolluntur. Spontanea illa haemorrhagia plerumque e parvulo quodam puncto oritur, ne minima quidem laesione antea percepta. COXE<sup>1)</sup> tamen exigua foramina acu puncto haud dissimilia observavit. Neque in illis haemorrhagiis, quae vulnere licet parvo efficiuntur, sanguis celeriter prorumpit, sed ex omni ejus superficie tarde procedit. Initio locus vulneratus frequenter coëre videtur, imo perfecte consanescit, et octo demum vel decem diebus post, cum jam ad cicatricem pervenit vulnus, sudore sanguineo penitus imbuitur<sup>2)</sup> nec raro tali modo, quovis remedio irritato, mortem accelerat. In singulis hominibus si forte sanguinis cursui imperare succedebat, statim cordis palpitatione auctisque doloribus arthriticis aegroti laborarunt, vel sponte e naribus aut alia ex parte sanguinem emittunt.

In ratione quoque ac natura ipsius sanguinis multae existunt varietates si ad colorem consistentiam et facultatem coagulandi spectamus. Tum rubriorem tum nigriorem invenimus, quod quidem ex opinione mea varia haemorrhagicorum constitutione, arteriosusne aliquis sit vel venosus, explicari potest. Exemplum sunt permulta, in quibus sanguis nulla ratione a lege et norma differebat.<sup>3)</sup> Proclivitatem modo ad coagulationem in initio tandem ostendit, modo eam omnino non invenimus, modo vero ad ultimum coagulat. Plurimi autores sanguinem primo legitimum sese habere, dein

1) Philadelph. med. museum. Bd. I. St. 3. p. 286.

2) Med. repository, Newyork 1803. Vol. VI.

3) HUFELAND Journal Bd. LVIII. St. 2. p. 89.



vero aquosiores fieri neque amplius coagulare, tandem serosum et aquae carneae simillimum esse nobiscum communicant. In exemplo a me narrato postremo quidem cum infans animam cum sanguine effusus esset, talis sese habuit sanguis, qualem supra descripsi, tamen ad ultimum coagulavit.

Morbida illa diathesis jam in prima aetate imo ab ipsius partus momento apparet. Sunt exempla, quae infantes, quavis cura irrita, animam cum sanguine e funiculo umbilicali effudisse, cum jam plane consanuisset, probent. <sup>1)</sup> Apud quemvis vero symptomata hujus morbi mature inveniuntur, et primo quidem sugillationum maculae illae peculiares, tum haemorrhagiae spontaneae exstant. Observatione dignum, quod in haemorrhagicis non rarius evenit, hereditate acceptam diathesin, cum longius aetate provehantur, diminui vel omnino evanescere. Jam CONSRUCH <sup>2)</sup> progrediente aetate diathesin diminutam esse narrat, STEINMETZ <sup>3)</sup> eam omnino evanuisse anno quinquagesimo quinto tradit, nec non in familia nostra MICHAEL MAMPEL, postquam annum trigesimum expleverat, proclivitatem ad haemorrhagias vehementiores diminutam animadvertisse videmus. Imo hirudines in eas partes, quae dolores ei excitant, imponere audet, nullo majoris sanguinis profluvii periculo. Eadem et in PETRO DEITSCH animadversa habemus. Quo magis diathesis decrescit, eo magis et augetur arthritis, quae saepius ita vehemens fit, ut nonnullorum motuum prorsus ei usus non sit. Cer-

1) Philadelph. med. museum. Bd. I. St. 3. p. 286.

2) HUFEL, Journ. Bd. XXX. St. 5. p. 116.

3) RUST'S Magazin Bd. XXVII. Heft 2. p. 375.



tum sane, proclivitatem ad haemorrhagias prima aetate semper multo fortiolem esse, quam provecta, quod hujus aetatis cursu sanguinis actuosiore explicatur. Eadem igitur in haemorrhagicis inveniuntur.

Plurima, quae adhuc nota sunt, exempla hujus diatheseos hereditate praeter cetera hanc proprietatem ostendunt. Frequenter enim tantum maria familiae membra corripit, et quidem ita, ut filii haemorrhagici primi fiant, eorumque sorores tamen liberantur. Hic minime absurdum esset, si conjicias nepotes i. e. filiorum filios eosdem ad morbum illum inclinatuos esse, sed falso, rarissime enim illud inveniemus. Hi fere bona valetudine fruuntur, dum *filiarum filii* morbum hereditate acceperint, etiamsi ipsae filiae ne minimam quidem prodiderunt dispositionem; res aequae notanda, atque inexplicabilis. Tria tantum in memoriam exempla revocare possum, quae exceptionem permittunt, quaeque diathesin a patre ad filium ejusque filios transisse tradant.<sup>1)</sup> Simul vero et filiarum pueri morbo laborabant, quam legem natura nunquam egressura esse videtur.

Ut jam supra memoravimus feminae ab illo malo fere liberantur. Attamen nonnulla sunt exempla memoratu dignissima, quae paucis absolvere liceat. In iis quidem proclivitas ad letales haemorrhagias hereditate accepta non plane funesta sua forma invenitur, tamen omnino eam negare non possumus. Ita crebrius ab auctoribus traditur singulas e sexu femineo vehe-

---

1) RUST Magazin. a. a. O. — HUFELAND Journ. 1837. St. 4. — Allgem. mediz. Zeitung 1837. No. 69.



mentissima et ultra legitimum tempus perstantia menstrua habuisse, quae et raro ita augebantur, ut mulieres lectum relinquere non possent. <sup>1)</sup> Rarius autem accidit, ut menstrua nihil consideratione dignum ostendant, quum eodem tempore e parvis vulnerationibus non minus quam sponte periculosissimae haemorrhagiae oriuntur, multis sugillationibus comitantibus. <sup>2)</sup> Etsi omnes hujus morbi apud sexum femineum talium haemorrhagicorum familiarum signa desint, frequentissime tamen in iis menstrua apparebant, imo exempla adsunt, quibus puella undecim, altera vero octo annos nata menstrua habebat. <sup>3)</sup> Etiam in familia nostra Kirchheimiensi mulieres anno aetatis quarto decimo, in exemplo vero, quod ELSAESSER nobiscum communicat, anno quinto decimo menstrua apparebant. Commemoratione dignum et illud CATHARINA WENDELING quamquam menstrua nimia et ultra tempus perstantia passa sit, eaque neglecta graviditate vel tempore, quo infantibus mammas praebuerit, eadem manerent neque unquam intermitterent, tamen in nullo partu vehementius sanguinis profluvium intercepisse.

Et in viris morbi decursus varius sese habet; non semper omnia familiae membra morbo corripuntur, tum hic, tum ille sine ulla lege omittitur, quod et apud nostros haemorrhagicos invenimus. Memoratu vero dignissimus haemorrhagicus, quem GRANDIDIER <sup>4)</sup> de-

---

1) HUFELAND Journ. Bd. XLVIII. St. 2. p. 89. — HORN'S Archiv 1824. Jul. - Dec. p. 120; — ibidem May - Juny p. 385.

2) CASPER'S Wochenschrift Feb. 1833. No. 7.

3) Allgem. mediz. Zeitung.

4) Allgem. mediz. Zeitung.



scripsit: tantum spontaneis haemorrhagiis laborabat, e parvis vero vulneribus nunquam sanguinis majorem copiam effudisse dicitur.

Attamen non solum hereditaria illa ad letales haemorrhagias proclivitas commiserandis illis hominibus attribuebatur, malum, quo laborant et altero, arthritide scilicet, augebatur. Quae nec venosa et atrabilari neque arteriosa haemorrhagicorum constitutione mutatur. In utrisque eundem gradum attingit. Quomodo inter se cohaereat utraque diathesis adhuc in tenebris jacet, tantum rem ipsam ante oculos habemus. Posterioris vero morbi vestigia jam inde a prima aetate invenimus: modo hic, modo illic in articulis tumores apparent, brevi post evanescunt, ut in alia parte iterum proveniant. Cum primo corripiunt pueros magis rheumatismo similes, anno aetatis quinto vel sexto arthritidis accuratius patet. Tumores non amplius evanescunt, majoresque excitant dolores praesertim haemorrhagia per aliquot tempus intermissa. Aegrotus tum temporis vix membris uti, nec lectum relinquere potest. Compressione vero dolor augetur. Arthritidis cum morbo haematico consensus haud negari potest, utrumque malum vi reciproca conjunctum est, cum alterum augetur, alterum statim diminuitur, et vice versa. Sanguinis profluvio vel sponte, vel qualibet laesione orto semper arthritidis decrescit. Tempore verno, quo haemorrhagiae nasci solent, dolores articulorum ad summum perveniunt. Foedum sane mihi praebuerunt spectaculum DEITSCHLÆ liberi: pueri per longum tempus haemorrhagiis non tacti, fortes atque animo hilares sese habebant, sed ab omni motu vivaciore doloribus suis



retinebantur. Quae arthritidem comitari solent cetera symptomata ut concoctio mala et acor in haemorrhagicorum arthritide non invenitur. Rarissime in haemorrhagicorum historia exemplum nobis occurret, in quo illud malum simul non praevaluisse. **ESCHERICH** <sup>1)</sup> et **SALOMON** <sup>2)</sup>, haud scio an oblivione, diathesin arthriticam nullo verbo commemorant, **GRANDIDIER** <sup>3)</sup> vero certe, haemorrhagicum, qui ejus curae mandatus erat, nunquam arthritide laborasse, tradit.

Pauca hic et de haemorrhoidibus afferre liceat; apud plurimos enim haemorrhagicos aetate provecta illae apparebant. An et illud malum cum nostro conjunctione teneatur posteriorum temporum curae atque acumini relinquendum est. **MICHAEL MAMPEL** primum anno trigesimo tertio haemorrhoidibus laboravit, et ab eo ipso tempore diathesis haemorrhagica egregie diminui coepit, ita quidem, ut hirudines sibi imponere posset, nullo ut antea periculo existente. Haemorrhagicos autem summam senectutem non facile attingere posse cum tot tantisque laborent morbis, facile intelligitur, attamen hanc rem autores nimis exaggerasse vel haud accuratius tractasse puto. Diathesis haemorrhagica provecta aetate magis magisque evanescit, arthritis vero non tantum affert periculi, ut vitae timere debeamus, quare cur non et haemorrhagici longius vitam producere possunt? Tum vero etiam exempla adsunt haemorrhagicos annum sexagesimum tetigisse. <sup>4)</sup> **HAY** <sup>5)</sup>

1) Würtemb. Correspondenzblatt. Bd. V. No. 19.

2) CASPER'S Wochenschrift Feb. 1833. No. 7.

3) Allgem. med. Zeitschr. 1837. No. 69.

4) Allg. med. Zeitung.

5) New England Journal.



virum quinquaginta quinque annos natum videbat; MICHAEL MAMPEL nunc quadraginta tres explevit, et si discesseris ab arthritide bona valetudine fruitur.

*De caussis hujus morbi* permulta adhuc in tenebris occultata latent. Plurimis locis hypothesi posteriorum indagationibus vel refellenda vel confirmanda contenti esse debemus. Semper vero causam proximam magis in sanguine, quam in vasorum parietibus quaerendam esse puto plurimique, qui de nostro morbo scripserunt, autores hac ab opinione non dissentiunt. Cui tamen sententiae ut major fides atque auctoritas addatur, indagatione accuratissima et chemica et microscopica opus est. Nam quae nonnulli opinantur, sanguinem secretum quasi ejusque corpuscula dissoluta esse, cruoremque ex iis evadere, certe non constabunt. Praeterea non injucundum globulorum sanguinis formam et diametrum cognoscere, cum multa exstent exempla, in quibus sanguinis physica natura tempus foetus pristinum, sanguinemque Cetacearum in memoriam revocat. Clarissimus SCHOENLEIN in libro suo de pathologia et therapia sententiam memorat, e phthisi vel arthritide nostrum morbum gigni. Nil vero magis commiseror, quam per omne tempus, quod in academia Heidelbergensi versatus sum, numquam mihi id contigisse, ut copiam sanguinis ad indagandum satis amplam ab illa familia Kirchheimiensi obtinerem.

Si in vasorum parietibus causam morbi scrutari vellemus, duas tantum hypotheses invenimus, sanguinem attractione tubuli crinalis (Haarröhrchenanziehung) efferri, aut parietes vasorum peculiariter solutas atque mollitas esse, ita quidem, ut cruor facile penetraret.



tum fons profluvii tali in loco esse debet, cui fortis compressio adhiberi possit. Praedicantur et solita remedia ut fomentationes glaciales, tampon; tum et spongia alcohole rigata loco sanguinem profundenti adhiberi potest, pulveres quoque styptici ex alumine, colophonio et gi. Kino. De proximis vero remediis non credo ipsa per se haemorrhagicis sanguinis profluvium sistere posse. KRIMER<sup>1)</sup>, cum omnibus quae inveniri possint remediis et ipso ferro candente frustra usus esset, magnetismi periculum fecit eoque auxilium tulit aegroto. Relinquitur tandem remedium, quod in aliis quoque morbis haud spernendum in nostro morbo haematico certe prospere cedit, *transfusionem dico*. Jam MARCINKOWSKY<sup>2)</sup> in commentario „de transfusione“ illam indicatam esse putat in morbo nostro. At multa de hac re sicut de innumeris aliis postero tempore indaganda remanent.

---

1) HORN's Archiv. a. a. O.

2) Hamb. Zeitschrift für d. ges. Med. v. DIEFFENBACH, FRICKE u. OPPENHEIM. Bd. I. 1836.